

recedere ausus est Deo. Hinc adverte quae mali vis sit
20 non vincere voluntatem cupiditatis sed pervertere ordi-
nem naturae et virum genitum subiacere servitio femi-
narum. Nunc ergo ipsum Salomonem, qui omni penitus
imperio spoliari dignissimus erat, paternorum contem-
platione meritorum sextam regni Dominus portionem
25 habere permisit. Et sane si curae tibi esset eloquentiae
saecularis et repente in exercendis negligentior studiis
fori voces ac tribunalium palmas ac coronas illas atque
victorias deseruisses, revocarem profecto sensibus tuis
memoriam praeteritorum, expeterem ne tibi perire pate-
30 reris tot ac tantos inter illa iudicia desudatos labores.
Verum quia omnis nobis sollicitudo est caelestium rerum
nec terrestribus prorsus cogitationibus praepedimur,
aliud magis, quaeso, contemplare iudicium, aliud magis
prospice quod sine fine revertendum est ante intremes-
35 cendum tribunal. « Omnes enim nos, inquit, manifestari
oportet ante tribunal Christi. « Ille tunc iudex sedebit,
qui nunc a te repudiatur. Quid tunc ergo dicemus, quo
colore excusationis utemur, si in eodem crimine permane-
bimus ? Interrogo : Quid loquemur ? Negotiorum forte
40 atque causarum varias sollicitudines praetendemus ? Sed
ante nos ipse commonens dixit : « Quid proderit homini, si
universum mundum lucretur, animae autem suae detri-
mentum patiatur. » Sed seductos nos a quoquam causa-
bimur ? Sed non potuit Adam uxoris inlecebras excusare
45 dicens : « Mulier quam dedisti mihi, ipsa me seduxit. » Nec
rursus uxorem serpentis culpa defendit. Magnum horren-
dique terroris plenum illud, Theodore, iudicium est : non